



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Certis horis diei debet examinari conscientia Can. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

vel alia eiusmodi inconuenientia moueantur. Quod idcirco fit maximè, quia pro obiecto cogitationis ipsa peccata sua assumunt, illa inspiciendo, & ad illa se conuertendo, loquuntur atque disputant cum illis extra me. Atque idè dum sua peccata secum ipsi tractant quamlibet bona intentione, magis tamen obtenebescunt, quàm illuminantur. Tu verò cum peccatricem te cogitare, cum te humiliare vis, relinque peccatis, ad me conuere: mecum de peccatis, de infirmitatibus, de defectibus tuis tracta: mihi quarimonias tuas aduersum te expone, mihi loquere, mihi quam iniquè egeris, te accusa. Inde fiet vt peccatorum tuorum accusatio in orationem conuertatur. Quapropter ad me conuersa orando, peccata tua mecum tracta. Hoc modo conscientia tua serena efficitur & tranquilla: affectio quoque tua ad me conuersa, ex me inflammatur.

Accusatio peccatorum quomodo esse fieri debeat.

Quomodo satisfaciendum sit pro peccatis.

CANON VII.

IAM verò de satisfactione pro peccatis hoc consilium tu amplectere, vt quicquid manus tua potest instanter opereris: non tamen eo animo, aut eo fine, quasi tu peccata tua redimere velis, aut satisfacere queas. Ad hoc enim opera tua nimis indigna nimisque imparia debes aestimare. Sed age omnia vt mihi placeas, quem offendisti. Me roga potius, & mihi ita confide, vt meritis passionis ac vitæ meæ satisfactissimæ tua velim abolere delicta, atque pro illis Patri meo satisfacere. Hæc humilitas, hæcque fiducia ad me tua, quibus te ipsum operaque tua vilificas, me verò ac merita mea extollis, omnia satisfactionis tuæ opera excellit (quandoquidem vna gutta sanguinis mei excellit, & valoris ac satisfactionis plus habet omnibus meritis humanis: idè pro peccatis totius mundi satisfacit) & me inclinatur ad te, vt meritorum meorum thesaurum tibi faciam communem. Quapropter hoc præcipuum sit studium tuum, vt beneplacitum meum non negligas, vt me continuè cogites, desideres, ames: & quæ iussi siue per me, siue per vicarios meos, imò quæcunque volo diligenter perficias. Et si mille millium peccatorum haberes acervos, omnia sicut vnum peccatum dimitto. Neque enim distat apud me saluare ex paucis vel ex multis peccatis. Vnde mille peccata sicut vnum ignosco. Mirum est quod dicturus sum, certissima tamen indubitataque fide tenendum: Si totus mundus esset globus igneus, & in medio eius de stipula lini pugillus vnus, hic ex sua naturali inclinatione non tam cito flammaram reciperet incendium, quàm recipit abyssus miseram mentem meam peccatorem penitentem & conuerti volentem: quia in illa actione naturali quantalacunque pateretur morula, licet minima ac fortassè imperturbabilis, hic verò nulla penitus mora inter penitentem & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

Eccle 9

studium præcipuum penitentis quid esse debeat

Misericordia Dei quam immensa erga peccatores.

Certis horis diei debet examinari conscientia.

CANON VIII.

CONGRUIT autem homini vt certa habeat exercitia, quibus peccata vel quotidiana exhauriat, & seipsum gemitibus ac cordis doloribus lauet, bestendo genua, suspirando veniam, in terram aspiciendo, pectusque tundendo. Nam

M m m 3

omni

omni momento inquinatis vos, quare non rursus & lauetis vos? Siquidem quicquid agitis, vultis, desideratis, cogitatis & tractatis, quidquid inter vos retinetis, circa quaecumque denique occupamini, quorum ego non sum intentio ac finis, hæc omnia sunt vt pelles aut stercora, quibus oblinuntur oculi vestri, ne omnino videatis, aut minus videatis & me & vosipsos. Igitur tu ter quater ve aut quoties volueris, consuetudinem tibi facias quotidie ad conscientiam examinare eundi pro venia petenda peccatorum, vtq; simul videas quid interea in corde tuo versatum sit. Hæc occasione multa reperies deffenda, multa delenda, quæ alioqui in obliuionem sine dolore abiissent.

De continua reprehensione sui ipsius.

CANON IX.

NIHILOMINVS OCVLVM debes habere vigilantissimum ad teipsam, vt illic sentias quid tibi desit, quid assit, quid solliciter, quid incidat, quid denique moretur in te vitiosum. Illudq; mox vt nasci cœperit, mox vt senseris, elimina, teq; repræhendas ac doleas: mihiq; conqueraris tuam infirmitatem, instabilitatem, malitiam & turpitudinem. Quapropter teipsam indefinenter considera, ac sine simulatione diiudica. In omni acta, in omni verbo, in operibus quoq; ac studiis pijs debes teipsum discutere, quia nihil purum, nihil sanctum, nihil ex omni parte integrum in te inuenies. Quicquid optimum apparet, si rectè consideras, inuenies quod summopere in eo sit lugendum. Dic mihi, si omnia que in vita egisti tua vnquam, appenderentur in statera, an aliquid, de quo pronunciare posses, quod bonum foret, inuenies? Minime. Debes igitur teipsam in omnibus repræhendere, & sanctæ tranquillæq; compunctionis materiam in teipsa quarere, gemendo, quod bona (quæ si facis) etiam non sunt ea integritate, non ea sinceritate, non ea intentionis puritate, nec eo deuotionis feruore, quo fieri deberent, facta. Plurimè quod multa negligentia, multa vitia, multi defectus se interspergunt, & te quotidie inquinant: vt merito omnis etiam iustitia tua panno menstruatæ debeat comparari. Semper ergo teipsam arguas, nec sine increpationis zelo, sine dolore gemitu compunctionis transire permittas, quoties in te depræhenderis quamcumque inutilem cogitationem aut otiosum sermonem, aut temporis breuissimi omissionem, aut inordinatam affectionem, aut sensus alicuius delectationem in qua requieuitisti: aded vt vita tua sit iugis compunctio. Hæc verdè omnia facias per conuersionem cordis tui ad me accedens, vt mecum omnia tractes, mihi necessitatem tuam exponas, me contra te inuoces: remedium, consilium, auxilium à me postules: teq; ad extremum relinquens, totum mihi offeras.

Verecundia superba quæ sit: propter quæ debeat quisque merito erubescere, & in quibusnam debeat homo seipsum continuè repræhendere.

CANON X.

SVNT autem quotidiana quedam, in quibus ferè omnes delinquitis, quæ merito tibi compunctionis præbent occasionem, & continuè erubescendi, teipsam repræhendendi, humiliandiq; ministrare debent materiam. De his seruius mecum

Repræhendere vt quisque seipsum debeat in omnibus. Esai. 64.

Vita hominis vt debeat esse iugis compunctio.